

«INTVS MONACHI, FORIS APOSTOLI»

De Archiabbatia Ottiliensi eiusque historia (52)

14.1. De visitatione canonica (3)

In secunda parte principali relationis agebatur de quaestione, quā in conditione internā disciplinarique consociatio Ottiliensis esset.¹ Conspectus, qui hac in re praebebatur, non vero nimis opportunus erat. Abbas Primas quidem in monachis «*voluntatem vere bonam*» animadvertit² et etiam affirmavit eos magna efficere in regionibus missionariis, tamen puncta critica praeponderabantur, quae vere gravia esse videbantur. Generaliter Fidelis von Stotzingen spiritum monasticum atque disciplinam valde deminutos esse improbat. Haec vero sunt opprobria, quae episcopus Thomas Spreiter atque Abbas episcopus Bonifatius Sauer iam ante visitationem saepius protulerant. Hanc inclinationem ad «descensum quendam» Abbas Primas condicionibus, quae post primum bellum mundanum in Germaniā vigeant, et effectibus spiritūs temporis inde exortis etiam in spiritum monasticum explicuit. Hac existimatione certe non omnino falsa dixit,³ sed haec explicatio non significat eum hunc processum probavisse, e contrario. Praeterea visitatores in numero satis magno monachorum inclinationem ad subiectivismum atque egoismum invenerunt, alios vero immoderatis laboribus externis nimis occupatos esse dixerunt, ita ut praecipua vitae monasticae in oblivionem venirent.⁴ Ad hanc «conditionem tristem», quam eam appellaverunt, Tragoessiana calamitas oeconomica nonnulla attribuit.⁵

Imprimis malas esse putavit Abbas Primas condiciones vigentes apud clericos iuvenes, qui adhuc in studiis erant. Apud eos magnam perturbationem internam inveniri, sed etiam deficientiam scientiae. Haec opprobria praesertim spectabant ad Ottilianum Collegium Monacense, in quo tales condiciones

1 Cfr Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), pp. 7 sqq. (ASA, APr 574). - Cfr de hac re etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 166; Hartmut MADL: Coelestin Maier (1999), p. 251.

2 Sed haec sententia imprimis spectabat ad monasteria Suarzacense atque Swikkersperchiense. - Cfr supra visitationis recessūs speciales harum duarum Abbatiarum.

3 Cfr de hōc themate etiam cap. 4.2.8.

4 Praeterea alia quōque vitia exhibuit, nempe nonnullos Patres praesentiam in choro neglegere atque multos silentium non observare, quā de causā inde sequeretur caritatem fraternam atque respectum erga auctoritates deficere.

5 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 166 putat magnam partem adnotationum criticarum, quas Abbas Primas protulerat, cohaerere cum eius perceptione vitae monasticae imprimis Beuronicā.

animadverterentur et praeterea Superiores huius domūs munerī non essent pares.⁶ His omnibus rebus visitatores adducti sunt, ut certa consilia ad condiciones meliorandas exhiberent, quas Fidelis von Stotzingen tamen hōc locō neque exacte indicavit neque explicuit. Nihilominus in relatione suā spem verbis expressit fore, ut Congregatio brevi ad statum priorem denuo perveniret, si illa mandata a visitoribus exhibita stricte ad effectum adducerentur.⁷

Secundum opinionem Abbatis Primatis vera causa huius interni processūs inopportuni Archiabbatiae alio loco invenienda erat, nempe in moderatione. Itaque paragrapho longiore in hōc problema incubuit.⁸ Explicationes suas incohavit sententiā hac: «*Tamen dicendum est causam defectuum magnā ex parte in munere atque personā Archiabbatis quaerendam esse, cui non iam sunt vires, quibus obligationes graves muneris sui duplicis explere valet.*»⁹

Etiam si condicionem hunc in modum existimavit, quae sententia hōc temporis momento certe realitati conveniebat, Fidelis von Stotzingen, ut nulli errores de persona atque de operibus Norberti Weber exorirentur, perceptionem suam Archiabbatis denuo verbis clare expressit, cum scriberet haec: «*Archiabbati qualitates extraordinariae sunt, idem est verus monachus Benedictinus atque vir magnae virtutis. [...] Magna merita Archiabbatis omnibus sunt nota et idem intra Ordinem atque extra eundem magnā veneratione fruitur. Verus fundator Congregationis appellari potest.*»¹⁰ Etiam hōc iudiciō Abbas Primas certe recte dixit.

Hac perceptione tamen nihil mutabatur in condicione, quae modo vigeat et quae decursū annorum exorta erat et quae non originaliter ad problema Tragoessianum pertinebat, sed tantummodo aliquid attribuit, ut difficultates cum praedio silvestri cohaerentes fieri neque eaedem tam facile iam solvi potuissent.

Fidelis von Stotzingen in relatione suā praeterea causas explicuit, quibus secundum opinionem suam Archiabbati Norberto moderatio Congregationis

6 Sicuti supra iam commemoratum est, nonnulli clerici propter has condiciones Ordinem reliquerunt.

7 Non satis apparet, num hōc locō dubitatio quaedam subaudienda sit.

8 Cfr Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), pp. 9 sq. (ASA, APr 574).

9 Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), p. 9 (ASA, APr 574). - Textus originaliter Italicus.

10 Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), p. 9 (ASA, APr 574). - Textus originaliter Italicus.

paulatim difficilis reddita est. Ad has causas praeter alias pertinebat interna extensio celeris validaque et ipsius monasterii Ottiliensis et totius Congregationis. Hic sane erat effectus laborum Abbatis sive Archiabbe Norberti Weber, id quod Abbas Primas hōc locō tamen expressis verbis non commemoravit. Accesserunt autem condiciones difficiles inter primum bellum mundanum et post idem et curae cum eisdem coniunctae ad monasterium Congregationemque spectantes. Quod tota condicio eo difficilior redderetur, esse Archiabbe valetudinem interea affectam et eius indolem aliquatenus timidam atque haesitantem,¹¹ quā de causā moderatio gradatim ei «e manū elapsa» esset. Conclusio, quam ex sententiis exhibitis traxit, erat haec:¹² «*Moderamen constans strictumque deesse omnibus in rebus animadvertitur et tamquam causa defectuum demonstratorum manifestatur.*» Hōc in enuntiatiō notatu tamen dignum est Abbatem Primatem Fidelem von Stotzingen haec omnia, quae protulerat, ex multis annis ipsum scivisse, cum unā ex parte Archiabbe Norbertum bene novisset, alterā ex parte ab aliis decursū temporis compluries ei dicta essent, ipsum vero indesinenter haesitando nihil contra hanc condicionem fecit. Itaque ipse quōque facta aliquatenus praestare debuit.

Magni autem momenti sunt proposita, quae visitatores exhibuerunt, ut problemata urgentissima amoverent.¹³ Primo Abbas Primas rogavit, ut Congregatio Religiosorum Norberti Weber petitionem resignationis non acciperet, cum tali muneris abdicatione et intrinsecus perturbatio augeretur et extrinsecus magnum detrimentum efficeretur. Meliorem solutionem in eo esse, ut Archiabbe Abbas Coadiutor iuxta poneretur, qui res internas monasterii Ottiliensis curaret, cum Norbertus Weber moderamen Congregationis teneret.¹⁴

11 Num Archiabbe Norberto revera generaliter fuerit «indoles haesitans», paululum addubitari potest. Fieri tamen potest, ut se gerendi modus aliquatenus haesitans nonnullis in rebus propter problemata ubicumque accumulata paulatim exortus est.

12 Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), p. 10 (ASA, APr 574). - Textus originaliter Italicus.

13 Cfr Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), pp. 10 sqq. (ASA, APr 574).

14 Tali progrediendi modo hōc temporis momentō separatio quidem inter munus Archiabbe atque munus ducis Congregationis theoretice effecta est, sed visitatores existimabant fore officium Congregationis Capituli generalis proximi, quo haec quaestio iam diutius disputata solveretur.

Relatio ad Congregationem Religiosorum tribus votis finitur,¹⁵ quibus visitatores imprimis rogaverunt, ut Sancta Sedes institueret Coadiutorem pro Archiabbatiā Ottiliensi, quem tamen capitulares Archiabbatiae proponerent; praeterea Congregatio Religiosorum consilia in relatione exhibita probaret, praesertim institutio commissionis pecuniariae. Denique necessarium esse putaverunt, ut Abbas Primas, usque dum Congregatio Religiosorum officialiter eum dimitteret, delegatus Sanctae Sedis maneret. Tamen hōc propositō significabatur ipsā visitatione atque consiliis exhibitis problemata nondum fuisse soluta, sed ultiore observatione et fortasse interventione indigere.

Postquam Congregatio Religiosorum relationem visitationis accepit et postquam eius Praefectus Cardinalis Alexis Lépicier die 14^o m. Maii a. 1930^o audientiam privatam apud papam Pium XI habuit, eadem omnes in relatione exhibitas petitiones probavit.¹⁶ Etiam Archiabbas Norbertus se omnia mandata accipere primo declaraverat. Hōc visitoribus praesentibus et effectū visitationis percepto aliter expectari non potuit.¹⁷ Decursū temporis tamen haec res modo aliquatenus alio progrediebatur.

Nam paulo post manifestabatur Archiabbatem strategema procrastinandi adhibere, quod ad commissionem pecuniariam attinebat, quae revera immediate post visitationem fuisset instituenda.¹⁸ Primo Norbertus Weber hac in

15 Cfr Fidelis von Stotzingen: Rapporto (7.4.1930), p. 12 (ASA, APr 574).

16 Cfr epistula Congregationis Religiosorum die 26 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 574).

17 Epistulā die 31 m. Maii a. 1930 ad Thomam Spreiter directā (ASA, APr 595) Fidelis von Stotzingen episcopo de visitatione atque de eius eventū rettulit. Hic confessus est fuisse «*dies gravissimos*», et quod attinebat ad statum oeconomicum Archiabbatiae, sed praesertim quod attinebat ad condicionem spiritalem atque disciplinarem. Erga Thomam Spreiter Abbas Primas protulit secundum suam opinionem illis regulis normisque exhibitis et ad tempus futurum spectantibus nondum omnia esse facta. Nam Archiabbatem Norbertum ad eas ad effectum ducendas verisimiliter non iam capacem esse, cum «*partim propter nervorum imbecillitatem nimis curis effectam, partim propter indolem nobilem tenuemque maximo laborum oneri omnino non iam parem*» esset. Ipsum Norbertum Weber itaque rogavisse, ut condicio ei levaretur. Similem sententiam Fidelis von Stotzingen etiam protulit in epistulā die 31 m. Maii a. 1930 ad Bonifatium Sauer missā (ASA, APr 585). - Quod attinebat ad statum oeconomicum Archiabbatiae Ottiliensis, Fidelis von Stotzingen condicionem adhuc esse vere seriam putavit, sed spem quandam saltem parvam in commissione pecuniariā posuit.

18 Cyrill SCHÄFER (2005), pp. 167 sq. problemata, quae ad commissionem pecuniariam instituendam spectant, tractat. - Hartmut MADL: Coelestin Maier (1999), p. 250 commissionem pecuniariam solum breviter commemorat.

quaestione nihil egit. Causa videlicet in eo erat, quod Eugenius von Stirling, quem Archiabbas de futurā commissione pecuniariā et de eius officio recognoscendi certiore fecerat, declaravit se talem recognitionem non esse accepturum.¹⁹ Hunc in modum Archiabbatem Norbertum consulto terrori subiecit, qui tamen terri passus est. Cum uno mense post visitationem finitam quoad commissionem pecuniariam adhuc nihil factum esset, Fidelis von Stotzingen de hac re interrogare atque urgere coepit, praesertim quia Archiabbas Norbertus pluribus epistulis²⁰ atque variis argumentis demonstrare conatus est custodiam omnis generis Vindobonae exhibendam collapsam Archiabbatiae Ottiliensis effecturam esse.

Conspicuum autem praesertim est Archiabbatem Norbertum explicationibus longis momentum Eugenii von Stirling exhibuisse, quod idem in Archiabbatiā servandā habet.²¹ Eum omnino necessarium esse ad varia munera exandanda, quae adhuc instarent conficienda, velut contractum lignorum caedendorum, licentiam arborum caedendarum acquirendam, novas pecunias creditas inveniendas. Praeterea officinam Reichraminger necessariam esse, ut contractus lignorum caedendorum ad effectum adduci posset.²² Eugenium von Stirling hanc officinam illis multiplicibus contractibus, qui supra iam commemorabantur, iam in manū suā tenere Norbertus Weber hōc locō praeteriit silentio.

19 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 167 hōc in conexū scribit de «*causis perspicuis*», cur Eugenius von Stirling sic responderit. Sicuti iam compluries apparuit, Eugenius von Stirling administrationis praedii Tragoessiani quasi «*potitus*» est, cum - semper lucrum suum respiciens - varios modos progrediendi atque contractūs efficiendos curaret. Talibus in rebus scilicet externa custodia neutralis ei erat contraria.

20 Ut videtur, Norbertus Weber iam die 4 m. Apr. a. 1930 et die 8 m. Apr. a. 1930 similes epistulas ad Fidelem von Stotzingen direxerat, quae tamen in archivis non iam exstant. Earum argumenta nihilominus e responso Abbatis Primatis die 15 m. Apr. a. 1930 dato (ASA, APr 578) atque ex epistolā Norberti Weber die 19 m. Apr. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASA, APr 578) apparent. - Etiam Cyrill SCHÄFER (2005), p. 167, adn. 373 scribit illas duas epistulas in initio mensis Aprilis scriptas videlicet esse amissas.

21 Cfr epistula Norberti Weber die 19 m. Apr. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578).

22 Hōc locō Norbertus Weber plures quaestiones posuit: «*Sine eādem novam consociationem laicam condere nobis conandum esset. Quomodo hac in re defrauderemur? Quando talis fieri poterit? Quem ad talem acquirere possumus? Quem interea amittimus?*» - Archiabbati tamen non in mentem vēnit deliberare, num Archiabbatia Ottiliensis fortasse illis multis contractibus inter se dependentibus iam in officinā Reichraminger suscipiendā aliquo modo defraudata esset.

Tamen haec non sufficiebant. Archiabbas Norbertus vehementer se convertit contra suspicia atque obtrectiones, quas appellavit, quae contra Eugenium von Stirling prolatae essent. Ipsius aspectus unilaterialis atque aliquatenus turbatus clare exprimitur sententiā hac:²³ «*Ille vir istis hominibus, qui tantummodo furto bonorum praedii vixerunt, incommodus est, quia ordinem facere non desinit.*» Quem autem designare vult verbis, qui sunt «isti homines»?²⁴ Totum eloquium summam habet verbis his:²⁵ «*Cum Dominus v. Striling hodie se recipit, tunc ego omnem spem Archiabbatiae Ottiliensis servandae prorsus depono.*»

Haec omnia quadamtenus hysterice sonant et demonstrant Archiabbatem Norbertum intrinsecus non iam fuisse liberum, quod attinebat ad Eugenium von Stirling, et etiam suspicandum est illum Archiabbati timorem iniecis-
se, ut omnis generis custodiae se subtrahere posset. Hic obtutus non iam neutralis ad Eugenium von Stirling et dependentia de eius iudicio laboreque, in quam et Norbertus Weber et P. Aloisius Seibert ab iintio semet ipsos immer-
serant, illo temporis momento pars totius problematis iam evenerat.

Tamen Archiabbas in epistulis suis alias difficultates opinatas protulit, quae secundum ipsius opinionem mandatis statim efficiendis, quae in visitatione data erant, obstiterunt. Nam unā ex parte periti non-monastici in commis-
sionem pecuniariam recipiendi ei displicuerunt, quia in taciturnitate servan-
dā, quae ad res internas Congregationis pertinebant, eis confisus non est, alterā ex parte differre sive prohibere conatus est, ut secundus Pater, qui P. rem Aloisium «adiuvaret», Vindobonam mitteretur. Denique Archiabbas Norbertus profecto quaestionem posuit, num hac difficillimā condicione et

23 Epistula Norberti Weber die 19 m. Apr. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - Textus originaliter Theodiscus.

24 Revera haec verba sunt opprobrium erga monachos suos, qui in praedio Tragoessiano cooperati sunt. Hōc etiam inde apparet, quia Norbertus Weber refert ad conexum visitationis, inter quam Abbati Primati res negativas de Eugenio von Stirling narratas esse suspicatur. Putari tamen potest ipsum Eugenium von Stirling Archiabbatem contra monachos suos movisse, sicuti exempli gratiā factum est in Patre Notkero Mannhart atque Fratre Francisco Imhof.

De Eugenio von Stirling Norbertus Weber in eādē epistulā scripsit haec: «*Mihi persuasum est eum bene atque honeste agere.*» Et paulo post: «*Tantopere Dominum v. Striling ut virum honestum aestimare didici ...*». - Sententiae originaliter Theodiscae.

25 Epistula Norberti Weber die 19 m. Apr. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen data. - Hōc locō Archiabbas verbum, quod est «ego» simpliciter, verbum, quod est «omnem» dupliciter sublineaverat.

problematis indicatis «*commissionem pecuniariam instituendam omni modo impetraret*».²⁶ Revera omnia mandata exsequenda Coadiutori futuro relinquere voluit. Huius conaminis se subtrahendi causam attulit se Coadiutori libertatem disponendi demere nolle.

Abbas Primas Fidelis in epistulis suis responsoriis Archiabbatem tranquillio-rem reddere conatus quidem est exempli gratiā merita Eugenii von Stirling agnoscens, tamen modo scribendi aliquatenus retento cautoque.²⁷ Sed hōc modō tamen nihil mutabatur in eo, quod Abbas Primas strictissime insistebat, ut commissio pecuniaria statim institueretur et Archiabbas eā de causā cum Abbate Simone Landersdorfer communicationem iniret. Commissionem pecuniariam fieri in tempus indefinitum procrastinari non licere, cum difficultates praesentes actionibus celeribus indigerent.²⁸ «*Moderatione superiore atque custodiā commissionis pecuniariae ab illis gestis infelicibus nos servari debemus, quibus hodiernum discrimen Archiabbatiae Ottiliensis effectum est,*» idem scripsit.²⁹ Quā in sententiā verisimiliter opprobrium Archiabbatis Norberti subauditur, cui huius condicionis ratio denique reddenda erat.³⁰

26 Epistula Norberti Weber die 19 m. Apr. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578).

27 Cfr epistula Fidelis von Stotzingen die 15 m. Apr. a. 1930 ad Norbertum Weber directa (ASA, APr 578). [Haec epistula est responsum ad illas duas epistulas videlicet amissas Norberti Weber diebus 4 et 8 m. Apr. a. 1930 datas] et epistula Fidelis von Stotzingen die 26 m. Apr. a. 1930 ad Norbertum Weber missa (ASA, APr 578). - Cyrill SCHÄFER (2005), p. 168, adn. 375 certe iure meritoque existimat Abbatis Primatis sententiam sequentem aliquatenus ironice sonare: «*Tamen bene intellego dominos Vindobonae eidem [nempe commissioni pecuniariae] repugnare et Patrem reverendissimum difficillime resistere.*» - Haec sententia Abbatis Primatis hic per errorem epistulae diei 26 m. Apr. a. 1930 attribuitur, tamen eadem in epistolā diei 15 m. Apr. a. 1930 invenitur.

28 Cfr epistula Fidelis von Stotzingen die 26 m. Apr. a. 1930 ad Norbertum Weber data (ASA, APr 578).

29 Epistula Fidelis von Stotzingen die 15 m. Apr. a. 1930 ad Norbertum Weber directa (ASA, APr 578).

30 Quod attinebat ad initium huius processūs tragici, Archiabbas Norbertus - uti iam commemoratum est - non erat solus responsalis. P.re Ludgero Breindl non respecto, qui consultationes inopportunas inierat atque unā cum P.re Aloisio Seibert praedii Tragoesiani contractum emptionis subscripserat, etiam Abbates assistentes Placidus Vogel atque Coelestinus Maier scriptum, quo debitis assumendis nihil obstare declaraverunt, exhibuerant et Congregatio Religiosorum, quamquam numeri ei praebiti erant, concessit, ut aes alienum contraheretur.

Itaque scitū dignum est Abbatem Placidum Vogel, qui sodalis quōque commissionis

Etiam in quaestione, num secundus Pater Vindobonam esset mittendus, Abbas Primas posteriores disputationes non est passus. Aliquem missum iri putavit esse maioris momenti quam diuturna colloquia de personis et de eorum officiis necessariis in Archiabbatiā exanclandis. Agebatur verisimiliter primo praesertim de P.re Mauritio Schrauf, qui quidem existimabatur aptus ad munus exhibendum, cuius absentia, cum Vindobonam mitteretur, nihilominus magnum detrimentum agriculturae scholae hibernalis effecisset, cuius praepositus illo tempore erat.³¹ Ut videtur etiam de P.re Vinfrido Schneiderhan sermo erat, qui tamen problemate de P.re Macario Spitzig habito munere praefecti alumnorum Fratrum fungebatur et praeposito huius muneris nimis celeriter denuo mutato alumnis non esse bonum.³² Hac in quaestione Archiabbas Norbertus et Senioratus videlicet unius animi erant. Consultationibus autem cum Senioratū habitis deinde etiam cogitatio exorta est, quā P. Optatus Pfäfflin esset persona apta ad officium Vindobonae explendum,³³ cum eidem praeterea eruditio quoque mercatoria esset.³⁴ P. Optatus illo tempore Meschetis versabatur, ubi in novo monasterio, quod ibi recenter conditum erat, exaedificando cooperabatur.³⁵ Sed hoc significavit aliquamdiu duraturum esse, usque dum eius Superior P.rem Optatum inde missum facere et ipse Vindobonam se conferre potuit. Ipsa cogitatio igitur generaliter erat optima, sicuti postea apparuit, tamen his condicionibus vigentibus custodia dilatata Vindobonensis administrationis Tragoessianae retardabatur. Fortasse hōc

pecuniariae provisus erat, Abbatem Primatem rogavisse, ut documentum originale, quo assensus erat, ad breve spatium temporis ipsi redderet, ad quam quaestionem argumentum protulit hōc: «*Ipse enim cogitationem deponere non valeo hac in re non omnia sine dolo quodam facta esse.*» (Epistula Placidi Vogel die 22 m. Aprl. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASO, Z.1.Asien). - Cum Abbas Placidus videlicet subaudiri vellet se aliquo modo defraudatum esse, ut ipsius subscriptio acciperetur, monstrare conatus est sibi non esse responsalitem calamitatis.

31 De agriculturae scholā hiemali *cfr* cap. 4.12.1.2. - De hac quaestione Abbas Primas breviter adnotavit Patrem mittendum esse maioris momenti quam existentia scholae hiemalis. *Cfr* epistula Fidelis von Stotzingen die 26 m. Apr. a. 1930 ad Norbertum Weber missa (ASA, APr 578).

32 De scandalo ad P.rem Macarium Spitzig spectante *cfr* cap. 4.14. (1), adn. 7.

33 Alia nomina illorum, qui hōc officium Vindobonae exhibere possent, proferebantur P. Romualdus Heiß, P. Bartholomaeus Köppl. P. Basilius Konrad.

34 De his cogitationibus *cfr* epistula Norberti Weber die 3 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - Cyrill SCHÄFER (2005), p. 168 etiam breviter hanc quaestionem personarum commemorat, tamen nomen P.ris Optati Pfäfflin non exhibet.

35 De Meschetis *cfr* cap. 4.10.3.1.

factum Archiabbei Norberto non omnino displicuit.

Cum Fidelis von Stotzingen praesertim in quaestione commissionis pecuniarie solvendā non iam ullas excusationes concederet, paulatim haec res promovebatur. Archiabbas Norbertus tandem cum Abbate Simone Landersdorfer consultationes iniit, ut locum atque terminum temporalem primae sessionis initialis pecuniarie commissionis constituerent.³⁶ Eiusdem participes deinde die 15^o m. Maii Monaci primā vice convēnerunt.³⁷

Interea autem status praedii Tragoessiani magis magisque difficilior effectus est. Nam executio contractūs lignorum caedendorum sic dicti et pecunia credita pro «Culturali Societate» cum ipso coniuncta dependebat de conditione, quā dispositio oeconomica atque copia lignorum caedendorum officialiter concederentur.³⁸ Ad hanc concessionem accipiendam tamen necessarium erat, ut praedium silvestre a quibusdam sodalibus praefecturae saltuarie inspiceretur, ut iidem praeter alia explorarent, num copiae lignorum in petitione indicatae sine detrimento caedi possent. Haec inspectio die 28^o m. Apr. a. 1930^o incohata est et provisum erat, ut eadem circiter duas septimanas duraret. Iam die 30^o m. Apr. a. 1930^o Archiabbas Norbertus Abbati Primati rettulit «*machinationes non parvas*» in recessū moveri, ut concessio lignorum caedendorum per dolum impediretur.³⁹ Talem sententiam duabus septimanis post iteravit nihilominus unāquāque vice spei confisus fore, ut huic rei occurri posset.⁴⁰ Tali «spe» fortasse sibimet ipsi rem aliter fingere conatus est. Cum enim die 18^o m. Maii erga Abbatem Primate de hōc themate denuo ageret, scripsit haec:⁴¹ «*Ut conspicuum est, in dispositione oeconomica explendā omnia machinantur, ut eiusdem concessio prohibeatur sive per*

36 Cfr epistula Norberti Weber die 30 m. Apr. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578).

37 Cfr epistula Norberti Weber die 18 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578); Ann. Ottil., 15.5.1930, ubi adnotatio legitur P.rem Maximilianum Freist ut repraesentantem electum Conventūs eandem participaturum esse. - In Chronicis commissio pecuniaria non commemoratur.

38 De hac re cfr cap. 4.13.4.

39 Cfr epistula Norberti Weber die 30 m. Apr. a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578).

40 Cfr epistula Norberti Weber die 12 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen data (ASA, APr 578). - Hōc locō adhuc putat «*illas machinationes collapsuras esse*».

41 Epistula Norberti Weber die 18 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578).

dolum impediatur.»

Tamen nullis in querimoniis suis indicavit, quis putaretur tales machinationes revera instigavisse. Sed ut enuntiata sua probaret, Archiabbas longum incisum ex epistolā quādam P. ris Aloisii Seibert depromptum attulit, quam epistolam idem ad ipsum miserat. P. Aloisius ibidem se gerendi modum inspectorum descripsit, quem inter ipsam inspectionem exhibuerant, compluries adhibens locutionem, quae est «malevolentia odiosa».⁴² Sed quaestio etiam poni potest, num et Archiabbas Norbertus et P. Aloisius Seibert interpretationem nimis negativam ex inspectorum modo se gerendi concluderunt, cum exactā inquisitione condicionum revera expectandus esset effectus inopportunos, nempe reprobatio dispositionis oeconomicae atque recusatio licentiae lignorum caedendorum. Nam petitā copiā lignorum caedendorum respectā licentiam praebitum non iri profecto iam in ipso contractū iungendo manifestum esse debuisset.

Cum praevideri videretur inspectores dispositionem oeconomicam atque propositum lignorum caedendorum non esse probaturos, Archiabbati Norberti sensūs panici exoriebantur. Ut totam rem aliquatenus servaret, Abbatem Primatem rogavit, ut idem papam ad interveniendum adiret.⁴³ Quod Fidelis von Stotzingen tamen recusavit.⁴⁴ Non autem manifestatur, cuius generis interventionem Sanctae Sedis fore Norbertus Weber putaverit. Num tale Vaticanum conamen auctoritatis exserendae apud magistratūs Austriacos omnino effectum habuerit, praeterea dubium est. Magnas spes itaque Archiabbas Norbertus posuit in colloquio cum Vindobonensi Cardinale Friderico Gustavo [*Friedrich Gustav*] Piffel habendo, qui rei Tragoessianae, scilicet licentiae lignorum caedendorum acquirendae operam daret. Cardinalis promisit quidem se cum Austriae cancellario foederali de licentiā lignorum

42 Cfr epistula Norberti Weber die 18 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen directa (ASA, APr 578). - P. Aloisius Seibert in textū a Norberto Weber allato significavit inspectores quadamtenus confessos esse officinas Glesinger et Schwarz «*omnia exhibere, ut dispositio oeconomica in irritum caderet*». Tamen interrogandum est, cur talia facerent, cum illa dispositio oeconomica brevi ante unā cum ipsis exarata esset. Praeterea interrogandum est, cur illae officinae in magistratūs auctoritatem exserere potuissent. Talia indicia de machinationibus in recessū factis aliquatenus sonant ut «*narrationes con- iurationis*».

43 Cfr epistula Norberti Weber die 18 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missa (ASA, APr 578).

44 Cfr huius rei adnotatio Norberti Weber in epistolā die 23 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen datā (ASA, APr 578).

caedendorum communicaturum esse,⁴⁵ sed hōc quōque in conexū interrogandum est, qualem effectum in magistratūs responsales talis interventio ecclesiastica exseruerit.

Generaliter autem mirum est, quomodo Archiabbas Norbertus iterum iterumque novae spei se dedit et eandem expressit sententiis, quae sunt «*In fine tamen omnia bene evenient*», «*Tamen spes mihi est fore, ut omnia bene contingant*», «*Non est quidem desperandum, solum patientiā adhibitā expectandum est*»,⁴⁶ et similibus locutionibus. Haec omnia nihilominus sonant sicut sibilatus in silvā, quo proprius timor superaretur. Sed Archiabbas Norbertus saltem confessus est contentionem suam virium atque trepidationem internam esse magnas.⁴⁷

SIGRIDES ALBERT

[VOX LATINA 226, 2021, pp. 501-511]

45 Hōc Norbertus Weber gaudenter rettulit in epistolā die 29 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen missā (ASA, APr 578). - Cyrill SCHÄFER (2005), p. 168 etiam illa duo incepta Archiabbatis commemorat, quibus idem eventum praedio Tragoesiano inopportunitate arcere conatus est.

46 Epistulae Norberti Weber die 23 m. Maii a. 1930 et die 29 m. Maii a. 1930 ad Fidelem von Stotzingen datae (ASA, APr 578).

47 Cyrill SCHÄFER (2005), p. 169 explicat illo tempore difficillimo, quo de existentia Archiabbatiae agebatur, Norbertum Weber Sororibus Benedictinis alicuius monasterii Americani rogantibus ultimum suum litterarium opus maius conscripsisse, nempe biographiam P. ris Lucae Etlin (1864-1927), qui spiritualis illarum Benedictinarum fuerat. Hunc librum scribere ipsi Norberto Weber condicionibus calamitosis vigentibus magno usui fuisse videtur. Liber Theodiscus anno 1930° editus est, eius versio Anglica anno 1931°.